

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1092

1090

1096

1086

1101

1081

1041

0991

0591

0091

Ende

Anfang

519

dictum est Fol. 8. b., ad quem Moyses fugit de Aegypto et filiam ejus uxorem assumxit, Exodi II.

Porro in processu venimus de deserti deviis ad regiam, communem et tritam viam, quae dicit de Aegypto sursum in Palaestinam ad Gazaram, a quo juxta Gazarum declinavimus, ut patet supra fol. 28., dum in desertum ingredieremur. Ab eodem namque loco usque huc nullam viam habuimus, sed nocte ac die siderum usi directione ambulavimus, sicut in mari fieri solet. Ultra modum vero laetati fuimus in inventione viae et videbatur nobis, quod in mundum revenissemus. In eo loco via, quae sursum dicit ab Aegypto, dividitur in duas vias: una dicit sursum per littus maris magni ad Palaestinam et inde in Iudeam et Jerusalem, per quam frequenter est descensus et ascensus de terra sancta in Aegyptum et e contrario. Alia ab Aegypto dicit sursum ad littus maris rubri et Madian et Thor, portum maris rubri, de quo dictum est supra fol. 39. b. Per viam ergo communem cum laetitia contra Aegyptum [processimus] et gavisi fuimus, iterum vestigia Domini Jesu invenisse, nam per illam viam Joseph duxit virginem Mariam cum puerō Jesu in Aegyptum ex praecepto angeli, Matth. II.

Advesperascente ergo die venimus in desertum Helim, in quo castrametati sunt (**b**) filii Israel post transitum maris rubri, juxta XII fontes et LXX palmas, ut habetur Exodi 15. Verum a loco fontium declinavimus et etiam a publica strata ad unum milliare italicum et in loco quodam immundo, quem nominabant Dorondon, tentoria fiximus. Currebat enim humus illa plena vermiculis et bestiolis et pediculorum Pharaonis non erat numerus, de quibus supra fol. 27 dixi. Male autem respximus Calinum pro eo, quod non in loco fontium fecit tentoria figi, sed ipse rationabiliter hoc excusavit dicens, quod ex quo sitibundi essemus et incensi, si circa aquas maueremus, non cessaremus a potu usque ad defectum nostrum. Alia causa, quia juxta aquas sunt paludes et in illis paludibus sunt infiniti diversi generis serpentes, vermes et viperae, ideo circa aquas non expedit morari. Alia causa: Arabes deserti praedones sua tabernacula figunt prope aquas et quandoque noctibus superveniunt ad loco aquosa, et si nos reperirent, nos

